

Perseverancia A

In cassum bonum agitur, si autem vite terminum deseratur, quia frustra velociter currit, qui priusquam ad metas venerit, deficit.

Gregorius libro 1. moralium.

Perseverancia B

Perseverancia est unica filia summi regis, finis virtutum earumque consumacio, tociusque boni repositorium, et virtus sine qua nemo videbit Deum.

Bernardus in quadam epistola.

Perseverancia C

Absque perseverancia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Nutrix est ad meritum, mediatrix ad premium, soror paciencie, constancie filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitalis vinculum, sanctitalis propugnaculum. Tolle perseveranciam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo, sola est cui eternitas redditur, vel potius que eternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit.

Bernardus in epistolis capitulo 39.

Perseverancia D

Bonam vitam ego puto, mala pati et bona facere, et sic perseverare usque ad mortem.

Bernardus in quodam sermone.

Perseverancia E

Perseverandum est et assiduo studio robur addendum, donec bona mens sit et bona voluntas est.

Seneca epistola 14.

Perseverancia F

Turpe est cedere oneri et luctare cum officio quod semel recepisti. Non est vir fortis ac strenuus qui laborem fugit, nec crescat illi animus ipsa rerum difficultate.

Seneca epistola 1.

Perseverancia G

Nichil est quod non expugnet pertinax opera et intenta ac diliges cura.

Seneca ibidem.

Perseverancia H

In excelso est beata vita, sed perseverancia penetrabilis.

Seneca epistola 65.